DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE TYPHO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS DEVLIN,

Hibernus.

Quæ regio in terris, vestri, non plena laboris!!

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO, APUD D. SCHAW ET FILIUM.

MDCCCXV.

VIRO HONORIFICO

JACOBO O'REILY,

DE BALTRASNA,

IN COMMITATU MEATH,

MORUM URBANITATE,

VIRTUTIBUS OMNIBUS QUÆ VIRUM ORNANT

INSIGNI

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

D. D. C. QUE

AUCTOR.

VIRO SPECTATISSIMO

PAKENHAM RUXTON,

JURI CONSULTO,

DE ARDEE;

HOCCE TESTIMONIUM,

ANIMI, NON IMMEMORIS,

MULTORUM BENEFICIORUM IN AMICUM COLLATORUM,

D. D. C. QUE

AUCTOR.

NECNON

MARCO DEVLIN,

DE NEWRY;

ARMIGERO

BONIS OMNIBUS LITTERIS TINCTO HOMINI,

HOC

ANINI NON IMMEMORIS

PERLEVE MONUMENTUM,

SUMMA REVERENTIA

OFFERT

AUCTOR.

NECNON

JACOBO SKELTON, M. D.

DE DROGHEDA;

EXERCENTI MEDICINAM SUMMA CUM LAUDE,

NON MINIS

SCIENTIA MEDICA,

QUAM

ANIMI PROBITATE,

INSIGNI

HOC OPUSCULUM,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ,

PIGNUS

VULT

JACOBUS DEVLIN.

15

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

Omnium morborum qui genus humanum infestant, nullus magis me judice, diligentem sibi medici attentionem, quam Typhus vindicat. Nam ætati nec sexui ab eo parcetur, omnesque vitæ conditiones pariter tentationibus obnoxiæ sunt. Tametsi nonnunquam, leniorem ostendat, tamen sæpenumero indicia, maximum periculum minitantia eum commitantur. Hæ varietates, quæ diversis temporibus animadversæ sunt, ansam eundem morbum sub disparibus nominibus

dependendi, auctoribus dederunt. Tamen vel de temperamentis agrorum diversis, quibus contagio admota est, discrepantibus tempestatis aut caeli conditionibus, vel vehementia causæ admotæ pendere videntur : et adeo diversa genera non faciunt ; ut tantum species ejusdem morbi paululum mutatæ æstimari debeant. Per aliquot annos preteritos, nervosæ aut putridæ, minus, vere apposite nomine potita est. Illud Vocabulum, nimis tritum, ut pene, unuquisque morbus nervosus dici potest ; huic quoque objicere licet, quod putredo minime est causa, tantum autem consectarium. Nosologici scriptores huic morbo Typhum nomen indiderunt.

DEFINITIO.

Morbus contagiosus, calor parum auctus, pulsus parvus, debiles, plerumque frequens, urina parum mutata, sensorii punctiones plurimum turbatæ, vires imminutæ. In hac definitione, et sub hoc nomine, omnes febres contagiosas,

præter synochum, Cullenas comprehendere vult; sed hic quoque, Professore Gregorio pro varietate tantum haberi debet.

HISTORIA MORBI.

Hanc febrem contagione excitari perpauci dubitant, sed quanto post tempore, quam in corpus recepta est, incipiat adversa valetudo inter medicos adhuc nondum convenit ; hoc autem pendere videtur, ex proclivitate corporis contagione affecti, vel tabo magis minusve pestilento. Plerumque vero, paucos post dies, materia morbifica corpus intraverit, sensus frigoris, cum calore alternantis, percipitur, deinde nausea et vomitus, cum doloribus variarum corporis partium, sed presertim dorsi et lumborum. Jam æger af fligitur gravedine, vertigine, et dolore capitis, animus tristis et demissus fit, temore malorum futurorum torquetur, ventriculus languidus fit, et omnes cibos firmiores recusat, sed maxime diætam ex carno fastidit. Simul pulsus frequens

et lingua abbida est; tamen sitis non multum adhuc urget, neque calor plurimum auctus, quanquam summa cutis arida est, ægrotans de calore multum conqueritur; symptomata mane aliquantum levantur, sed vespere iterum ingravescunt. Noctu æger somnum non carpit, et si forte somnus obrepat, parvum levaminis affert, insomniis diris subito excitatus. Æger his affectionibus plus minusve laborat, antequam se totum in lecto affigere coactus est. Ad resautem gerendas, ut solebat, prorsus invalidius est sed circiter finem primæ hebdomadis, omnia in pejus ruunt, symptomata aggravantur et æger se urgeri, magna debilitate conqueri incipit, vires autem adeo imminutæ sunt ut erectus sine auxilio strare non potest. Nunc honor, gravedo, vertigo, et dolor capitis magis magisque sæviunt, nunc tinnitus aurium, delirii prænuncius urget, et dolore membrorum, dorsi et lumbrorum vehementius affligitur. Gravius urget nausea et vomitus, facies fere pallida est, sed aliquando rubet. Interdum genæ rubent, dum extremitates nasi et aurium frigidæ reperiuntur, et frons ma-

dida fit, frigidis et glutinosis sudoribus super eam erumpentibus: nunc delirium urget, et æger in-incongrua mussitat, et quæ nemo astantium intelligere valet. Jam observantur subsultus tendinum, cum tremore manuum, lingua arida et nigricans evadit, cum marginibus colorem subfuscum interdum subviridem habentibus; et si eam exererere valet, multum intremiscere observatur radices dentium crusta nigra obductæ conspiciuntur, et spiritus, qui fervidus fuit nunc fœtidus fit; urina initio pallida vel limpida, vapidœ cereviscæ haud absimilis, in progressu morbi vero subfusca fit. Aliquando maculæ, modo rubræ, modo subfucæ, vel lividæ, in variis partibus corporis, sed potissimum in pectore et dorso deteguntur. Hæ Petechiæ, ut nuncupantur, in facie nunquam ferme observantur; incerto die morbi apparent, aliquando circiter quartum aut quintum, alias non ante decimum quintum. In provectiore morbi stadio, bebilitas, ob auctam violentiam omnium symptomatum, magis magisque urget: sudores copiosiores, et constantiores evadunt; his aut diarreoha eodem tempore superve-

niente exhauritur febricitans; extremitates nunc continuo frigiscunt, et symptomata omnia testantur mortem apropinquare subsultus tendinum singultus, tremores universales convulsiones, ultimas vitæ scintillas extinguunt miseris finem imponunt.

PROGNOSIS.

Signa infausta, aut quæ terrorem incutiunt sunt facies pallida, et collapsa; vires adeo, fractæ ut æger non valet in alterum latus recumbere, sed ad unum lecti delabitur, lingua arida sordidaque, deglutio difficilis, ventriculi debilitas, cum anorexia nausea, et vomitus; dejectiones frequentes, cruentæ et fœtidæ; hebetudo occulorum, delirium ferox et perpetuum; deliquum anmi ex erecto corporis statu, resperatio difficilis sine morbo pulmonum, sudores frigidi et partiales; muscæ volitantes, fæces et urina inscio ægro, reddita singultus subsultus tendinum, musculorum convulsiones. Omnia hæc vel plura horum, simul concurrentia, haud procul abesse,

mortem procerto indicant. Lingua nitida, et humida, cupiditate veneris et cibi redeunte, sudores lenes, et callidæ per totum corpus, somnus per noctem, cum remissione dolore capitis, et his simmillima signa, spem præbent.

CAUSÆ.

Duo causarum genera memorantur; ad primum attinent, quæ corpus opportunum faciunt, secundum eas comprehendit, quæ morbum in corpore ita obnoxio excitant.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Omnia quæ corpus humanum ita infirmant et debilitant, ut hoc plus causa excitante opportunum affici evadat, inter causas prædisponentes medici annumeraverunt. Præcipua horum, et quomodo corpus afficiunt, jam ordine ac quam brevissime dicemus.

FRIGUS INTENSUM,—

Vel nimus duiturnum, tam animalibus, quam terræ natis, admodum nocivum est, præcipue si

humori conjunctum sit; hominum corporibus insigneter nocet, animum demittit, per totum corpus sensum molestum producit et pro vi et diuturnitate, pulsus minus debilat.

CALOR MODICUS,—

necessarius est, non solum ad ortum, vero ad vigorem et ad auctum cum animalium, tum plantarum; calor autem immodicus, aut nimis diuturnus et animalia, et terra nata infirmat atque languefacit hinc homines huic morbo obnoxios reddit, et in regionibus; caldioribus haud raro febres hujus Typhi admodum malignæ sæviunt.

DEPRIMENTIA ANIMI PATHEMATA.

VELUTI, metus, maeror, meastitia, aliaque, quæ singulatim hic enumerare supervacaneum esset, mirum in modum corpus debilitant. Hoc, enim satis constat, tantum corpori consensum cum animo esse, ut hic graviter affici non posset, quum brevi corpus ejusdem perturbatio-

nis particeps fiat. Inter autem animi affectus, fortasse metus, corpus contagio recipiendo opportunum præcipere reddit; hic enim, actionem cordis et artenarum imminuendo, sanguinem ab extremitatibus membrorum avertit, cutem pallidam atque frigidam facit, omnes functiones corporis debilitat: hinc ubi morbi contagiosi sæviunt, illi haud rari immunes a contagio manent, animo alacri et confidente prediti sunt; dum qui contra, timidi mœstique contagio sæpe corripiuntur.

VITA IGNAVA ET SEDENTARIA.

Qtantum, ad bonam valetudinem conferat modica exercitatio, nemo sanus ignorat. Inertia sanguinis cursum reddit tardum, musculi flacidi evadunt secretiones minuuntur, ventriculus infirmatus, et concoctio cibi haud rite perficitur. Sic enim, homines finguntur, et fabricantur, ut inertia, pigritia eorum animos enervant, et pariter corporalaxent, et debilitent, et sic ut videtur, ad hunc morbum proclives magis fiunt.

INTEMPERANTIA.

Ad incolumitatem animi et corporis, multum conducere temperantiam, omnes medici una voce consentium. Quantitas cibi et potus, quam nonnulli gulæ dediti, uno tempore, ingerunt fere incredibilis. Hæc causa, tamen statim non morbum inducat tamen si diu, perstiterit, constitutionem corporis etiam validissimam paulatim corrumpet, et variis morbis proclivem reddit.

MILITIA VENERIS.

Si immodica sit, mirum in modum corpus debilat. tum animum hebetat, non solum animum et cerebrum nimis incitat, et sic corporis et animi langorem inducit, verum nimio seminis dispendio, quod in congressu nimis frequente accidit, partes valde infirmat, et supra modum deplet; quarum viger et plenitudo ad incolumitatem universi corporis et animi prorsus necessa-

ria sunt. Dicitur etiam, eos qui nuper in connubio conjuncti sunt, præ cæteris, esse morbis grassantibuss obnoxioss observatum est, homines inter tempus pubertatis, et trigessimum quintum aut quadragessimum etatis annum, aptiores esse huic morbo, quam minores natu aut majores, et infantes, nondum sexennes, rarissime Typho corripi.

DIAGNOSIS.

QUAMVIS primo impetu, Typhus aliis febribus non dubie similis sit, tamen haud multo post, notas sibi proprias exhibet, quibus ab omnibus satis dignoscatur. Morbus solus, a quo medicorum admodum interest Typhum incipientem distinguere, synocha est, quæ aliquot diebus primo, Typho similis, ut nonnunquam, etiam doctissimi et peritissimi medicorum, nesciant, utra febrium, urgeat, accurate distinguere. Qui hac febre corripiuntur eorum vires magis rumpuntur, magisque animus marcet, quam eorum qui synocha delirium citius incipit, atque mitius fa-

cies pallidior est, vultus lugubrior, arteriarum ictus celeriores, imbeciliores et frequentiores, temperatior summæ cutis calor, sitis minus importuna, urina copiosior, sed minus colorata. Synocha autem celerius atque notis minus dubiis, quam Typhus aggreditur, ille morbus constitutione corporis validos atque robustos, præceteris adoritur; hic contra, laxos et sæpissime debiles. Denique synocha nunquam Petechias ostendit, Typhus haud raro.

RATIO MEDENDI.

In hoc morbo curando, consilia tria sese offert primo. Ad spasmum in vasis extremis auferendum. Secundo, debilitates jam inductæ, exitibus obviam eundem, et tertio, ne aliæ causæ dibilitantes applicentur, inhibendum. Ad primum consilium, duo remedia, maxime laudantur, et haud immerito; nempe, emetica et frigida affusio. Bene notum est, si emetica mature adhibeantur, morbum invadentem haud raro, fugare; agitando corpus et maxime nervos.

Nunquam debent post quartum aut quintium diem; adhiberi; quia tunc febrem interrumpere non possunt, porro periculum est, ne a debilitate, quam producunt, æger detrimentum haud parvum accipiat. Inter remedia emetica, duo maxime celebrantur, nempe, Ipecacuhana et Tartris Antimonii. Compertum est, a medicis præclaris tartritem antimonii, ad febrem discutiendam remedium efficacissimum esse; optime assumitur soluta in aqua, et in parvis dosibus donec vomitionem moverit.

AFFUSIO FRIGIDA.

Remedium efficacissimum est, ad febrem incursantem discutiendam, si moræ, post aggressionem adhibeatur, et quocitius, eo melius; post affusionem frigidam, pulsus arteriarum, tardiores et validiores evadunt, calor decressit, dolor capitis et sitis evanescunt, et ægrotus in somnum placidum incidit. Cum morbus provectior sit, et calor ita non valde auctus, affusio tepida bene convenit, calorem temperat et sæpe

sudorem elicit. Remedia, qnæ secundum consilium postulat medendi, ne recencenda sunt. Alvus per totum morbi cursum, quoties opus, leniter solvenda est laxantibus, aut devoratis in ventriculum, aut in alvum ex parte inferiore injectis; enim fere nihil tantum, ad febrem alendam aut aggravandam valet, quantum alvi durissa atque sordes. Itaque alvus leniter laxanda est, enematibus, aut mitibus catharticis.

OPIUM.

A quibusdam cum consilio prout stimulus agendi datum est; sedantibus et antispasmodicis potestatibus felices ejus effectus exoriri potius arbitror, et his in subsultu tendinum et somno conciliando, et redendo pulsus arteriarum tardiores, utile evadit.

SUDORIFICA.

Hourm remediorum in febribus a quibusdam affirmati sunt felices exitus, etab alliis in dubium,

vocati. Verisimile tamen videtur, ut in febribus quibusdam magno commodo usurpari possint, quod in hoc autem, ubi tanta imbecilitas polleat in eadem sententiam nequaquam esse possum. Sudatio, ut commodaquæ ab eo oriri solent, tale vero institutum regimine solito tractatum, potius, me judice imbecillitati incrementum daret. Ubi sudor, spontaneus erupet, et non cito levabat potius autem pulsus frequentiam, anxietatem, et sperandi difficultatem, capitis dolorem et delirium augebat, frigido aëri in cubiculum aditum præbendo, et quadam de stragulis auferendo, eum cohibere, sæpe necesse repertum est.

DIÆTA.

Dum enumeramus remedia, quæ secundo consilio præscrebuntur, diaæta interim tenuis, atque regimen antiphlogisticum haud omitenda est, optime plerumque conveniunt, panada pulmentum, omnes frugæ maturæ, agrotantibus gratiæ

sunt *. Lac autem satis nutriens est, et parum stimuli et natura acescens, non modo non putrescit ipsum, sed corporis putredini obstat. Vinum, non solum optimum sine dubio, sed creberime usurpatum est. Ventriculo gratum est, admodum ad vires ægroti sustentandas tendit, et cum aqua mistum, haud in parva quantitate capi potest. Cum debilitas, per magna fuerit, et si ægroti non habent vinum, neque unde sibi parent, ille liquor distillatus, qui whiskey vocatur dilutus aqua et mistus saccharo substituendus sit. Inter remedia, quæ putridini et debilitati occurrunt, sunt, ær puris, munditia, fumigatio, cortex cinctionæ, vinum et potus frigidus, et haud quaquam negligi debent: Denique, cum ægrotus convalescere inceperit, maxima cura utenda est, ne morbus iterum redeat, propter infirmitatem jam inductam : et monendus est, ut modica exercitatione utatur, qualis haud multum fatiget.

* Greg. Conspect.

FINIS.